



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

46. De virginibus non velatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

conjugia crediderint copulanda, tamdiu utri-  
que habeantur à communione suspensi quous-  
que quod illicitè perpetraverunt emendent.  
Quòd si emendare neglexerint, à communio-  
ne vel, omnium Christianorum convivio in  
perpetuo sint sequestrati.

De viduis. *Epistola beati Gregorij Papæ Bo-  
nifacio Archiepiscopo missa, in qua inter  
cetera ita legitur decretum.*

XLV. Viduas à proposito discedentes vi-  
duitatis, super quibus nos consulere voluit di-  
lectio tua, frater carissime, credo te nosse à  
sancto Paulo & à multis sanctis patribus, nisi  
convertantur, olim esse damnatas; quas &  
nos apostolica auctoritate damnandas & à  
communione fidelium atque à liminibus Ec-  
clesiæ arcendas fore censemus usquequo obe-  
diant Episcopis suis & ad \* bannum quod cœ- \* bonum  
perunt invitè aut voluntariè revertantur.

Burchard. lib.  
8. c. 45.  
Vide supra in  
1. Append. c.  
56.

De virginibus non velatis.

XLVI. A sanctæ memoriæ prædecessore  
nostro Innocentio taliter decretum habemus:  
*Haec verò quæ necdum sacro velamine tecta,  
tamen in proposito virginali semper se simu-  
laverunt permanere, licet velata non fuerint, si  
nupserint, his agenda pœnitentia est, quia sponsio  
earum à Domino tenebatur. Si enim inter homi-  
nes solet bonæ fidei contractus nulla ratione dis-  
solvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum  
Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit. &  
\* contra. Nam si virgines nondum velatæ tali- \* cetera.*  
ter pœnitentia publica puniuntur & à cœtu fi-

Burchard. lib.  
8. c. 45.  
Vide supra in  
1. App. cap.  
47. & 56.

delium usque ad satisfactionem excluduntur, quanto potius viduæ, quæ perfectioris ætatis & maturioris sapientiæ atque consilij existunt, virorumque consortio multotiens usæ sunt, & velari se permiserunt, habitumque religionis assumpserunt, & tamen apostataverunt, atque ad \* pejus votum sunt reversæ, à nobis & ab omnibus fidelibus à liminibus Ecclesiæ & cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ & carceribus tradendæ, qualiter, juxta beatum Apostolum Paulum, tradentes hujusmodi hominem Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini. De talibus enim & Dominus per Moysen loquitur dicens: *Auferte malum de medio vestri.* De quibus & per Prophetam ait: *Letabitur justus cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* De talibus namque & eorum similibus atque eisdem consentientibus ( quia non solum qui faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt, rei sunt ) Dominus per eundem Prophetam David loquitur dicens: *Videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* & multa alia eorumque similia. Tales ergo personæ indubitanter adulteræ esse manifestantur; \* quum relicto immortali sponso, ad anteriorem ut canes ad proprium reversæ sunt vomitum, & apostatæ factæ, illicita ac sacrilega se contagione polluentes, viris mortalibus se conglutinantes. Quæ etiam, juxta eundem Apostolum Paulum, eo quòd --- viduitatis propositum dimiserunt, & fidem quam cum Deo pepigerunt frangere præsumpserunt, atque primam fidem præva-

\* priorem vomitum

\* quia